

non illa, in hac. Optima enim est hæc sequela: seruanda erat in Iuda, Ecclesia Dei, usque dum veniret Siloh: Ergo & tribus ipsa, necessariò erat seruanda. Non autem contrà necessaria infereatur consecutio. Poterat enim non recedere tribus à Iuda, & tamen ab ea recedere spirituale sceptrum.

Quatuor itaque præuidit, prædixitque Patriarcha Iacob: *Unum est, Venturum fuisse Messiam ex tribu Iehudah, & in Ecclesia Dei nasciturum.* Vtramque enim erat necessarium. Eam ob causam alterum quoque præuidit prædixitque, nempe antequam veniret Messias, licet reliquæ tribus defecturæ erant ab Ecclesia & à vera religione; à Iuda tamen nunquam usq; ad Christum, spirituale sceptrum recessurum: sed in Iuda Ecclesiam Dei, quæ est eius regnum, ac proinde etiam tribum ipsam, ad illud usque tempus conservandam fuisse, nempe propter Messiam, quem sicut ex tribu Iehudah, sic in Ecclesia nasci oportebat. *Tertium* sequitur ex altero, nempe scribas quoque, hoc est, fidos doctores, nunquam in ea Ecclesia, donec veniret Messias, defuturos. *Postremum*, post aduentum Messiae, concisuram quidem ac defecturam fuisse Ecclesiam, etiam in Iuda, translato inde spirituali sceptro; sed loco Iudæorum, Gentes ad Christum copiosissimè accessuras, sese Christi sceptro subiecturas, cum pro suo rege agnitas, eique obtemperaturas: atque ita regnum Christi inter Gentes conseruandum fuisse: *Et ei (inquit) aggregatio fiet populorum, obedientiaque præstabitur.* Vtrumque enim significat פָּרָשָׁב, & utramque

*Capit. Vatis
cinii Patriar-
chæ Iacobi,
de Iehudah.
Gen. 49.*

3.

4.